



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,  
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac  
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de  
Liesse dictam effulsere**

**Caout, Walrand**

**Coloniae Agrippinae, 1607**

Mulier grauißimo vulmere saucia mirabiliter sanatur, voto ad B. virginem  
confugiens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

Quo voto per ipsos emisso, eorumque ad prædictam Virginem piè effusis precibus. (O grāda prodigium) protinùs extinctus est ignis. In cuius rei piam venerandamque memoriam castellum cum camino confici procurarunt, dictum scilicet castellum complectens libras duas nummularias & uncias quinque, caminum verò libram vnam, siue marcam: & ipsimet in dictam ecclesiam eadem deportauerunt primo die Iunij anno 1602. prout sub eodem die & anno fusus in regestis archiuorum de Marchair, tum etiam ecclesiæ B. Mariæ ac Dominæ Gaudiorum continetur.

MVLIER GRAVISSIMO VVLERE  
saucia mirabiliter sanatur, voto  
ad Beatam virginem confugiens.

MIRAC. X.

**I**Nitio postremorum bellorum intestinorum, quando principes ipsi ab inuicem discordantes mutuis armis se inuicem lacebant, quibusdam scilicet Regis partes tenentibus, quibusdam verò principum confœderatorum fidem amplexantibus, Heroïna quædam Dynastæ à Cruce viri nobilis vxor tum temporis iuxta Carnutensem ciuitatem inhabitantis, quique sub illud tempus Regis partes



partes sequebatur, prædicta, inquam, Heroïna ipso Natiuitatis Domini peruigilio circiter eam horam, qua secundum sanctam ecclesiæ consuetudinem laudes matutinæ decantantur, hostilem irruptionem in suo castro perpeffa est per milites eos, qui stabant à parte confœderatorum, petentibus illis sibi in dictum castrum, portis referatis, liberum donari accessum. Vbi autem Heroïna militum tumultuarias voces intellexit, ad portæ aditum festina perrexit, eorum petens alloquium. Cumque inter cætera sexum suum excusasset, allegans se fæminam, quæ neminem bellicis incursionibus infestaret, utpotè quæ sine præsidario milite ageret, eos obnixè rogauit quatenus pacificè recedere dignarentur, dicens se illis hora tam incommoda portas aperire non posse. Interea temporis quo talibus verbis eos compellabat, torreatum bellicum, vulgari nomine petart, nuncupatum, quod ad castri valuas applicuerant, eiaculati sunt: quod talem stragem attulit, ut portas in plurima fragmenta confregerit, quarum pars maxima dictæ Heroïnae corpus ita concussit, ut circiter triginta quinque vulnera in se receperit. Vnum autem eorum semi pedale fragmentum tali violentia eam agitauit, ut eius ventriculum violenter penetrarit, in illudque sese infuderit: ex quo tanta sanguinis copia defluxit, ut veluti exanimis in terram prolapsa



psa sit, diuque sic sine motu, sine voce perstitit: & ita quidem vt ipsimet chirurgi iudicarent eam mortuam propter vulnera tam multa vno temporis momento à se accepta: nihilominus tamen prudens illa fuit, quæ salutis suæ prudenter consultum voluit: vt potè quæ se vulneratam sentiens ad B. Mariam Exhilaratricem confugit, cuius aliquando mentionem fieri audiuerat: tuncque votum tale emisit, vt casu quo ipsam sanitati restitui contingeret, eò peregrinationis ergò contenderet: quod etiam postea voti compos re ipsa præstitit, secumque ligni fragmentum detulit, quo grauius ipsam vulnerari contigerat, quod argento contactum ante primarium altare penderi iuxta B.

Virginis sacram imaginem.

APPRO.